

des sunt 475. Volutâ ad hos Dioptrâ H. & positâ Regulâ foramineâ in Dioptrâ G versus H. reperies puncta 150. Latitudinem videlicet aquarum quæsitâ, nempe pedum 150.

Volens præterea cognoscere, distantiam ab aquâ ad turriculam, volve Regulam AF ad gradus 55. Regulam verò AE ad gradus 40. item Dioptram G ad puncta 475. & Dioptram H ad puncta 508. Applicatâ tunc Regulâ foramineâ Dioptræ G, & directâ versus H. reperies pedes 85. quæ distantia & quæsitâ, ab aquâ videlicet ad turriculam. Integra inductio est talis:

Linea nota	109.	} ped.
Ad Turrim c. in campo	508.	
Vltra aquas ad d.	475.	
Ad plantam montis ad aquas e.	375.	
Latitudo aquæ	150.	
Ab aqua usque ad turrim in campo	85.	

CAPVT XVI.

De Instrumenti usu in dimetiendis ternis Arcibus, in monte sitis, quantum videlicet illæ à statione Mensoris, & à se distent.

AD hanc dimensionem campum amplum ante omnia elige, ex quo singulas ternas Arces probè contemplari possis: & quia distantia earum magna admodum est, proindeque statio etiam longissimè sumi debet; ideo sic operare: Elige duas stationes, & Instrumentum impone Baculo secundum planum: stationem secundam tunc sume à sinistrâ dextrorsum, & volve Regulam AF versus stationem hanc: firmatis Regulâ & semicirculo, volve Regulam AE ad tertiam stationem, adhuc eligendâ, nempe c. & Regulâ iterum firmatâ, progredere ad stationem secundam, volveq; Regulam AF iterum ad primam stationem, & metire inter stationem utramque, reperiesq; perticas